

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1037

1035

1041

1031

1046

1026

1086

0986

0936

0536

0036

Ende

Anfang

464

duobus lapidibus de torrente fortiter collisit ad invicem ignemque provocans igne incendit, et collectis sarmenis ignem magnum fecimus et circumstantes membra fovimus. Cogitavi, quod Arabs ille artem illam educendi ignem de silicibus didicerit a Prometheo, filio Lapethi ex Asia et nymphe matre, qui aevo suo, ut poetae referunt, erat vir prudentissimus et praeter hoc, quod de luto figmentum hominis formatum igne de coelo furato animavit, primus de silicibus ignem provocandum esse docuit. Nam tum ignoratum fuit, ignem latere sub frigidis silicibus. Porro Vulco dicitur primus ignem invenisse; cum enim fulmine arbor quaedam incensa fuisse, ex eo aliae arbores succensae, omnia conflagrata sunt ligna. Vulco autem calore delectatus deficiente igne materiam adjecit, conservans ignem, quem hominibus ostendens tamquam a se repertum in totum per hoc promeruit, ut rex Aegypti constitutus sit.

Cum ergo refocillati calore essemus, titiones accepimus ignitos et processimus sursum in illa crepidine, in qua nonnumquam erant saltus et petrarum parietes, per quos Arabes primo scandebant et inde sursum unum peregrinum post alium trahebant. Cogitavi aliquotiens illo mane, quam mirabilis Deus; heri prae caloribus vix poteramus spirare et hodie prae frigoribus vix poteramus vivere. Quanto enim altius ascendimus, tanto intensius frigus sensimus. Interea ad fontem quandam venimus, juxta quem iterum ignem accendimus, (48a) et iam de ignis calore laetabamur, sicut heri ibi de aquae frigore recreabamur. Calefactis nobis iterum processimus per arduum saltum adscendendo ad longum spatium. In alto autem venimus ad unius magnae rupis parietem et de sublimitate illius parietis destillabat aqua clara et bona, nobis tamen fastidiosa, quia adhuc mane erat et frigore non mediocriter laboravimus. Destillabat autem aqua illa in concavitatem quandam rupis et quasi quandam piscinam faciebat. Juxta illam piscinam iterum ignem accendimus et nos calore refecimus; tantum enim frigus fuit, ut, si ignem non habuissetsemus, defecissetsemus prae algore. In ulteriori processu venimus adscendo de locis petrosis in clivum, praecipitem quidem sed planum, id est, sine rupibus et sine arbustis, et erat ille clivus graminosus, quasi pratum. Nobis itaque

